

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC PRINCIPI

143

Domino, Domino Friderico Herbipolensis Ecclesiæ Episcopo  
electo, ac Franciæ orientalis Duci, Domino suo clementissi-  
mo, Carmen hoc gratulatorium M. Valentinius  
Heliopethus humilimus Diaconus scripsit.



Hriste faue coeptis æterni patris Imago,  
Nam per te uires stantq; caduntq; meæ.  
Ut texam dignas Reuerendo Principe laudes,  
Cui semper curæ est religionis opus.  
Huic tulit Herbipolis nuper Diadema sacratum  
Ante alios uni, & sceptræ gerenda dedit.  
Ut regat imperium, populis & dictet honestas  
Leges, in uera cognitione Dei.  
Elegit certè multis è millibus unum,  
Qui tali officio præficiendus erat.  
Exitit is clarus uirtute & stemmate aurorum,  
A quibus antiquæ nomina stirpis habet.  
Hic multos hominum mores, linguisq; disertas  
Nouit, & historias claras facta Ducum.  
Dicitur antiquæ uerus pietatis amator,  
Ac magni faciens dogmata sancta Patrum.  
In primis autem semper curauit egenos,  
Exhibuit largas pauperibusq; manus.  
Sæpius insontum casus miseratus acerbos,  
Sponte sua miseris commoda multa tulit.  
O nîmum fœlix, ô terq; quaterq; beata  
Patria, sub tali principe regna uidens.  
Gratulor ergo nouos tibi Dux Amplissime honores,  
A VVirspergorum stemmate nomen habens.  
Omnes te colimus Dominum ueneramur & omnes,  
Qui sumus imperio subdita turba tuo.  
Perge diu fœlix, pietas quo ducit & ardor  
Virtutis, tribuet præmia digna Deus.  
Maiores imitare tuos, & fortia facta  
Qui patriæ semper consulere suæ.  
Artibus ingenuis uigeat Respublica perge  
Clarius ut Christi nomen ubiq; sonet.  
Sic procedet opus faustum populisq; tibiq;  
Et facies summo uota fidemq; Deo.  
Qui cum principibus iustis super æthera tollet  
Nomen, & imperij læta trophæa dabit.  
Quod superest petimus nos supplice uoce, clientes  
Defendas, fautor noster & esse uelis.  
Nam procul ah pietas, studium uirtutis ubiq;  
Exulat, ac plures dira tyrannis habet.  
Confirmet Deus hoc per chari uiscera gnati,  
Quod propter templum cepit adusq; suum.  
Det quoq; fœlicis longissima tempora uitæ  
Viuere, Francigenum Dux Reuerende Vale.

REVENS  
OMNIS

REVERENDUS  
OMNIS